

domus Senhousiorum olim *Ellenborough Hall*, nunc *Netherhall* dicta, ubi tituli ibi reperti multi servantur, prope adiacet; *Elenfoot* villa rustica est in ipso castrorum situ collocata. Ad titulos ibi antea iam frequenter, ut dixi, eruderatos nuper accesserunt aerae septendecim inscriptae omnes praeter unam et eodem loco omnes detectae ita dispositae, ut possit cogitari de sacrario quodam certis dis instituto; sunt enim aerae *Iovi optimo maximo* inscriptae duodecim, *Marti Militari* una (adde n. 390), *Victoriae Augustae* duae (adde n. 396), *Volcano* una. Dei iidem fere praeter *deas deosque omnes* (n. 367. 368) etiam in reliquis titulis iam antea notis culti reperiuntur itemque (n. 370) *Genius loci*, *Fortuna redux* (n. 392), *Roma aeterna* (n. 392), *Fatum bonum*, *Virtus* (n. 397); peregrini non multi (n. 369. 393). Tituli praeter sepulcrales simplices paucos (n. 407—412) militares omnes sunt, ut expectaveris (cf. n. 360. 404). Longe plurimi spectant ad *cohortem I Hispanorum* (n. 370. 371. 372. 374. 375. 376. 378. 379. 380. 381. 382. 385*) *equitatem* (n. 373. 377. 383. 384. 385), quam diplomata annorum 104. 106. 124 in Britannia militasse testantur; cumque eius ipsius cohortis etiam tegula inscripta ibi prodierit, quin stativa ibi habuerit dubitari non potest. Praeterea vero etiam *cohors I Baetasiorum civium Romanorum* non raro memoratur; sunt enim eius tituli quinque (n. 386. 390. 391. 394. 395). Ter *cohors I Dalmatarum* s. *Dalmatarum* (n. 367. 387. 400; adde 388) reperitur. Atque ut ab hac incipiamus, cohortem primam Dalmatarum in Britannia fuisse annis 106 et 124 diplomata annorum illorum docent; de stativis eius nihil praeter ea traditur. Cohortem deinde *I Baetasiorum*, qui Germani erant, diplomata a. 104 et 124 nominant; notitia (p. 81* 6 cf. Böcking p. 569*) tribunum eius (*Vetasiorum* ibi scribitur) ponit Regulbii (cf. supra c. VII ad litus Saxonum. Inter stationes autem per lineam valli, de quibus infra agetur, decima sexta notitia est *Axelodunum* (p. 114* 23 cf. Böcking p. 924*); *Uxeloduno* idem nomen scribitur in itinerario paterae Rudgensis, *Uxelludamo* apud Ravennatem (5, 31 p. 433, 1). Ab antiquariis Britannis Uxelodunum (ea enim vera nominis forma videtur esse ex tribus testimoniosis inter se comparatis desumenda quaeque respondet similiūm nominum Celticorum analogiae) in fine ipsius valli ad mare Hibernicum ponitur; sed cum in ea notitiae parte, ut infra videbimus, praeter ipsius valli stationes sub finem etiam non procul a vallo, quanquam non in ipsa eius linea sitae enumerentur complures, prorsus eodem iure, quo valli stationes plurimas, etiam hanc putabimus cohortem non mutasse a saeculo altero medio usque ad quintum inciens. Tamen etiam reliquae cohortes duae, Dalmatarum prima et Baetasiorum prima tum quidem Uxeloduni possunt stativa habuisse; ut etiam vexillarii legionum II et XX in castris muniendis reficiendis videntur ibi occupati fuisse (cf. n. 401. 403). Fieri sane potest, ut eodem tempore, quo Hadrianus valle duxit inter utramque insulae oram, etiam castra illa munita sint adhibitis variis militum numeris; id quod eo quoque probatur aliquo modo, quod praefectos trium cohortium, quas dixi, eosdem titulos binos (385. 395) vel ternos (n. 367. 388. 400; 386. 390. 394) adeo quinos (n. 388—392) simul ibi videmus posuisse. Inter anaglypha hic reperta, quae titulis carent (ut Horsleii p. 285 Cumberl. 62. 63), est

etiam equitis alicuius, fortasse cohortis I Hispanorum, signum (Horsl. Cumberl. 64; Bruce lapid. p. 14), qualia alibi quoque in stationibus equitum non raro reperta sunt.

1. CAMDENUS iam titulos ibi aut ipse vidit cum Cottono aut postea secum communicatos accepit decem. Ipse eorum exempla Grutero misit utenda, postquam in editione priore Britanniae editos excerpserat SCALIGER (in cod. Lugd. CI). Ita hic quoque, ut alibi, accidit, ut distinguendum esset inter Camdeni exempla priora et posteriora, item ea, quae Grutero miserat manu sua interdum aliter perscripta, ac typis expressa sunt.

2. Non pauci deinde accesserunt per GORDONEM in itinerario septentrionali, qui praeter tres Camdeno iam visos septem novos edidit.

3. Eosdem fere atque Gordon HORSLEIUS vidit (uno tantum excepto n. 396); ex eo hic quoque omnino pendet Warburton.

4. Anno 1750 POCOCKIUS haec loca peragravit, sed duos tantum titulos descriptis non bene.

5. Guil. HUTCHINSON multa ut solet congesit; musei Senhousiani descriptio vel potius delineatio satis plena eademque prima et adhuc unica ei debetur.

6. Ric. GOUGH in universum Horsleium exscripsit et Hutchinsonem; paucorum tantum titulorum exempla sibi propria exhibet (cf. n. 371).

7. LYSONS non pauca hic habet utilia (cf. n. 370. 377. 388. 392. 397. 401. 411).

8. HODGSON quanquam locum adiit (2, 3 p. 238), in titulis exhibens tamen sequitur fere Horsleium, Hutchinsonem, Lysons.

9. BRUCE omnium plurima congesit, etiam si exceperis aras illas sedecim inscriptas nuperrime repertas, de quibus eius me amicitia statim certiore fecit. Exhibit enim omnino titulos viginti quinque.

Alii singula addiderunt, ut ROOKE (n. 401) et C. R. SMITH (n. 405); ipse unius tantum tituli casu inde ablati vidi ectypum gypseum (n. 371), titulorum vero ipsorum nullum.

Titulorum Uxelodunensium longe plurimi extant in *Nether Hall* a gente *Senhouse* inde a Camdeni tempore fideliter servati atque continuo aucti (cf. Hodgson 2, 3 p. 240); quam collectionem me adire non potuisse aegre fero.

Inter *Moresby* et *Ellenborough*, a *Maryport* milibus circiter sex Anglicis versus meridiem et orientem, neque procul a *Cockermouth* oppido, stationis alias vestigia extant prope *Papcastle* vicum sita (cf. Hutchinson Cumberl. 2 p. 257). Inde proveniunt tituli duo (n. 415. 476), quos coniungendos putavi cum Uxelodunensibus propter situs viciniam. Videtur ibi numerus Frisionum in castris fuisse, cuius maior pars fortasse *Abalavae* erat; de hac statione dicemus infra c. LIII.

Item contribui cum Uxelodunensibus titulos singulares repertos in castris prope *Malbray* vicum sitis (n. 417), duobus circiter milibus Anglicis ab *Allonby* versus septentriones, et in *Skinburness* oppido olim nunc vice maritimo (n. 418).

Addo in fine praefationis, ut supra saepius feci, titulum Graecum unicum Uxeloduni repertum.

In *Ellenborough*, lapis latus dig. 16^{1/2}, altus 9 LYS., HODGS. Nunc in *Netherhall* BRUCE.

A C K Λ Η Π Ι Ω

A · ΕΓΝΑΤΙΟCο

ΠΑΣΤΟΡ·ΕΩΗΚΕΝ

Lysons Cumberl. p. 154, 64; Hodgson 2, 3 p. 242; Bruce wall p. 369.

'Αστυληπίων Α(ύλος)' Εγνάτιος Πάστορ Εθνεν

367 In *Ellenburgh* CAMD. ed. II et V, *Elenburgi* in aedibus Ioh. Sinhousii GRUT. Ibidem RELIQUI antiquiores. In *Nether Hall* BRUCE, sed imminuta

in latere sinistro: DIS DEABVSQ in latere dextro:

homo galeatus	P · POSTVMVS	Hercules
scutum et hastam	ACILIANVS	clavam et poma
gerens (Mars!)	PRAEF	Hesperidum
5 COH · I · DELM		tenens

(inde Warburton vallum p. 127, 65; Nicholson et Burn 2 p. 111; Goughs Camden 3 p. 438; Newton p. 115, 85); Pococke cod. mus. Brit. add. ms. 15800 f. 32 male; Hutchinson Cumberl. 2 p. 272 tab. 1 fig. 2; Hodgson 2, 3 p. 241; Bruce in schedis, qui quae litteris inclinati dedi non vidit.

2 PS · POSVIMVS Camd. ed. II, P · POSTVMVS ed. V, PROS · PAVLVS Pococke. 4 om. Pococke.

Idem homo redit infra n. 394 ibique dicitur *Paulus P. f. Postumius Palatina Acilianus*; unde P initio v. 2 posita non nimis certa videtur esse, cum *Paulus* nusquam ita notetur, ut recte observavit Hagenbuchius ad Orell. 2716. Ceterum cf. -. *Postumius A. f. Pap(eria) Acilianus* procurator provinciae Achiae tituli Cordubensis C. I. L. 2, 2213 et *Postumia M. f. Aciliana* tituli Hispani C. I. L. 2, 2060; qui tituli item videntur esse saeculi alterius exeuntis.

Camden ed. II (1587) p. 524 (inde Scaliger cod. Lugd. CI et in sylloge maiore p. 52; Grut. 2, 3 'ex Cambdeno' qui in ed. II addit 'postea emendatiorem misit Cambdenus', scilicet p. 1005, 3), ed. V (1600) p. 695; Stukeley itin. cur. 2 p. 48 tab. 73; Gordon it. sept. p. 98 tab. 44 fig. 1 (inde Maffei Mus. Veron. p. 446, 1; ex Maff. Donat. 55, 4; Orell. 2716); Horsley p. 280 Cumberl. 65